



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De purgatione Leonis papæ. cxcviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

fi quid eis intra duorum mensum spatium humanitus e-
uenerit, benedictione viatici non priuentur. Deinceps au-
tem ab eorum consiliis cautus existeret, te quoque sollicitè cu-
stodi: ne si eis in malo discipulus fueris, quibus magister
in bono esse debuisti, nec simplicitati tuæ, nec vltius se-
nectuti parcamus.

*De purgatione Leonis papæ.
Cap. CXCVIII.*

*Iuramen-
tum Leo-
nis papæ.*

Auditum fratres charissimi, & diulgatum est per mu-
ta loca, qualiter homines mali aduersum me insurre-
xerunt, & dilatare voluerunt, & miserunt super me gra-
uia crimina. Propter quam causam iste clementissimus ac
serenissimus dominus rex Carolus vnà cum sacerdotibus
& optimatibus suis, istam peruenit ad urbem. Quam ob-
rem ego Leo pontifex sanctæ Romanæ Ecclesiæ à nemine
iudicatus, neque coactus, sed spontanea mea voluntate puri-
fico me in conspectu vestro coram Deo & angelis eius, qui
conscientiam meam nouit, & beato Petro principe apo-
stolorum in cuius conspectu consistimus, quia istas crimi-
nosas & sceleratas res quas illi mihi obiiciunt, nec perpe-
traui, nec perpetrari iussi. Testis mihi est Deus, in cuius iu-
diciu venturi sumus, & in cuius conspectu consistimus:
& hoc propter suspensiones malas tollendas mea spontanea
voluntate facio, non quasi in canonibus inuentum sit, aut
quasi ego hanc consuetudinem aut decretum in sancta Ec-
clesia successoribus meis, nec non & fratribus, & coëpisco-
pis nostris imponam: sed vt melius à vobis abscindatis re-
belles cogitationes.

*Si quis ex ecclesiastico ordine damnatus fuerit à sy-
nodo, & ausus fuerit de sacro ministerio ali-
quid contingere. Cap. CXCIX.*

*Ex cõcil.
Antio-
cheno,
cap. 4.*

SI quis episcopus damnatus à synodo vel presbyter, aut
diaconus à suo episcopo, ausi fuerint aliquid de ministe-
rio sacro contingere, siue episcopus iuxta præcedentem
consuetudinem, siue presbyter aut diaconus, nullo modo
liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum
habere satisfactionis: Sed & communicantes ei omnes
abiici de Ecclesia, & maximè, si posteaquam didicerint